




BIBLIOTECA
COMUNALE
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI
DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE
CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

PORTOGALLO (REGNO), *Oratio habita serenissimi Portugaliae Algarbiorum'que regis Sebastiani nomine, in Concilio Tridentino. Die. IX. februarij. M.D.LXII. Una cum responsione sanctae Synodi*, Riva del Garda, Giovanni Battista Bozzola (Riva del Garda, Jacob Marcaria), 1562.

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T o op f 108

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/42>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TRENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.



Misc. I.C. 122

C. M. H. 146



BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

G
2 -op
f
123

BIBLIOTECA COMUNALE
TRENTO



ex libris



K 2412518

D 2412495

5tcl

T 0-op f 108

⁴⁴
Misc. T. C. c 122 9. Feb. 1562.



ORATIO

HABITA SERENISSIMI POR-
TUGALIAE ALGARBIORVMQVE
REGIS SEBASTIANI

Nomine, in Concilio Tridentino.


Die. IX. Februarij.

M.D. LXII.

VNA CVM RE-
SPONSIONE SAN-
ctae Synodi.



RIPAE:
AD INSTANTIAM Baptistae Bozohæ.
1562.



OFFICE OF THE
SHERIFF OF THE COUNTY OF

ST. LOUIS, MISSOURI

IN RE: [illegible]

VS. [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



ORATIO

HABITA, SERENISSIMI PORTUGALIAE ALGARBIORVMQUE

Regis Sebastiani Nomine, In Concilio Tridentino. Die IX.
Februarij. M. D.
LXII.



VM ad tuendam Christianae religionis integritatem, Sacrorum Conciliorum ac comodata semper fuerit auctoritas, his tamen nostris, post hominum memoriam, turbulentissimis temporibus, quibus et pietatis sinceritas tot est erroribus contaminata, et veteris disciplinae severitas omnium fere ordinum luxu, cupiditateque dissoluta, huius Sacrosancti conventus celebritas sic omnibus de Christianae Reip: salute cogitantibus necessaria visa est, ut non alia ratione sincera religio suae puritati restitui, collapsa morum disciplina instaurari posse videatur. Et quoniam singulari Dei Opt. Max. beneficio effectum est, ut tandem aliquando magno animorum consensu publicus uniuersi Christiani

nominis conuentus Pontificia autoritate in hanc urbem indictus ageretur, confidimus plane futurum; ut quam apud omnes Christianæ pacis studiosos expectationem commouit sacri huius, venerandique cætus religiosa maiestas & amplitudo, non modo, persanatis aliquot religionis vulneribus, impleat, sed ita superet. ut saucio, debilitatoque Christianæ Reipub. corpori omni ex parte medeatur. Nam si quis animo, atque cogitatione velit paulo altius repetere eas difficultates, quibus non solum nostra, sed superiori etiam memoria, Sacri Concilij progressio fuit interrupta, facile intelliget & tunc fuisse multa, quæ œcumenici Concilij splendorem obscurare, & cursum impedire videbantur, & nunc fuisse nonnulla, quæ nisi constanti sua prudentia, & pia plane constantia Sanctissimus Pont. Pius IIII. superasset, non modo, quam hic hodie summa cum voluptate intuemur; Christianæ Reipub. viam sane, & suis omnibus propemodum membris expressam effigiem, minime haberemus, sed vix exiguum illius, obscurumque simulacrum cerneremus. Et aliorum quidem Pontificum stabilis, perpetuæque in promulgando, indicendoque Sacrosancto Concilio sententia, vehemens illorum studium erga Christianam Reipub. non obscure declarauit, & constantia, pietatisque laudem apud posteros illis conciliauit: qui nullis temporum asperitatibus perturbationibusque deterriti, rem toties parum facilliter tentatum diuinæ sapientiæ consilij innixi sibi repetendam iudicarunt. Sanctissimi vero D. N. Pij IIII. Pont. & Apostolicæ dignitatis fastigio, & animi ornamentis vere Maximi, laudibus, nulla sane par vilo unquam tempore oratio poterit reperiri, qui, ut excellens in Christianam Reipublicam suæ vnus curæ sollicitudinique diuinitus traditam, studium testaretur, cum primum fuit Pontifex Max. declaratus; ut quod salutare, auspiciatque plane nomine pollicebatur, adhibita inueteratis Ecclesiæ malis medicina præstaret, in concilij celebrandi ratione, quo vno remedio omnium mentes ad sanitatem reduci posse videbantur, omnes suas curas cogitationesque ab ipso sui Pontificatus exordio collocauit. Cuius cum pios conatus & paternæ pietatis viscera prospicerent hi, quos ille & nuncijs & amantissimis literis in hanc urbem ad œcumenicum Concilium celebrandum adhortabatur, conuenerunt frequentes, ut videmus, &, ut speramus, non modo illius auctoritate, sed huius etiam Sanctissimi Conuentus exemplo, celebritateque incitati frequentiores in dies conuent, & huius Sacrosanctæ Synodi dignitatem sua pietate magis illustrabunt. Quod si œcumenicorum Conciliorum auctoritas Sacrarum literarum

monimentis non tam esset diserte comprehensa, quis tamen sobrie, saneque mentis crederet, pio tot integerrimorum, Sanctissimorumque præsulum conventui sanctum dei spiritum defuturum, qui in medio duorum, triumve de pietate agentium, se promissit futurum? Cum vero tanta sit Sacrorum Conciliorum autoritas, ut quæ in illis decernantur, pro divinis oraculis excipiantur ab omnibus, quis sibi non facile persuadeat in omnibus de Christiana Religione controversiis, eam fore verissimam sententiam, quam tot patres matura ætate, spectata virtute, exactaque eruditione ornatissimi, comprobauerunt, & Reuerendissimi, Illustrissimique Legati, diuina quadam sorte ad hoc munus electi, quæ Pontificio nomine Sacro Concilio præsident, sua autoritate confirmaverint? Tametsi vero facile adducimur, ut credamus in eadem sententia cæteros pro sua pietate, et sapientia futuros, de nobis tamen possumus id cōstantius apertiusque profiteri, qui ornatissimo vestro conspectu in tantâ Christianæ Reip. sapientissimis vestris decretis constituendæ expectationem sumus erecti, ut non modo vestra pietas existimemus fore, ut omnes de religione controversiæ dirimantur, sed vestra et censoria seneritate omnium ordinum, Sacerdotumque, præsertim, qui cæteris scientia, & vitæ integritate præluere debent, moros ad Euangelicæ sinceritatis normam dirigantur. Quæ qui sibi ex Sacro Concilio non pollicentur, aut quam vim habeant non perspicunt, aut cuius autoritate nitantur, non intelligunt. Hos quidē fructus, aut uberiore et postulat a nobis Christiana Resp. hos expectat Serenissimus Princeps SEBastianus Portugaliæ, Algarbiorumque, Rex huius nominis primus. Qui licet suum in Christianâ Remp. studium satis vobis crederet perspectum, et cognitum, ut tamē suā erga Sacrosanctū Concilium observantiam illustriore testimonio declararet, ornatissimū virum, quem videtis, D. Ferd. Martinez Mascarenium quā hoc Sacrum Concilium destinavit, non oratorē solum, sed, pignus, obfidemque perpetuā suā erga Sacrosanctum Concilium observantia, & pietatis. Quanta vero curæ optimo religiosissimoque Principi fuerit, æcumenici huius Concilij celeritas, & amplitudo, testari apud vos poterunt non solum antistites Bracharensis, conimbricensis, Lerienis, sacrarum literarum scientiæ, spectata pietate, & vitæ integritate insignes, qui se explicare celerius, & maturius in hanc urbē venire potuerunt, sed et qui constitutis suarū Ecclesiarum rationibus adierunt ex illius Regnis, & Dominijs, quos oēs Christianæ pietatis studiosissimus Princeps accurate est per literas hortatus, ut quā diligentissime possent se ad maturā perfectionē cōponerēt, ne vel iubenti, volentique Summo Pontifici se ignis parere, vel laboranti Ecclesiæ ferius, quā cum eorū pietas tū periculi magnitudo postulabat, adesse viderētur

*Omnia a Sereniss. Rege studiosissime sunt curata, partim ut sua
erga Sacrum Concilium observantia satisfaceret, partim etiam, ut Cla-
rissimorum Portugaliæ, Algarbicumque Regum maiorum suorum reli-
gioni, pietatique responderet. Quorum res fortiter, et foeliciter gesta
ita semper fuerunt cum publica Christianæ religionis utilitate, et di-
gnitate coniunctæ, ut tot, defusis, profligatisque Barbaris Regibus,
victorijs, tot direptis expugnatisque hostium oppidis, tot arcibus in
adverso Numidiæ, Cætulique litore ad comprimendam Barbarorum
audaciam, erectis, non tam sui Imperij fines proferre, quam Chris-
tianiæ Religionis gloriam propagare voluisse videantur. Incitabantur
ille quidem Regij animi excellenti magnitudine, sed ad nativum, insu-
tamque eorum propensionem accedebat aculeus ille, quem Alfonso
primus Portugaliæ Regni conditor, et author posterorum Regum ani-
mis impressum reliquit. Quod si apud Clarissimos Portugaliæ Reges
tantum valuit exemplum perpetua quædam serie velut per manus tra-
ditum, quid vos, Amplissimi Patres, expectare par est a Serenissimi
Regis Sebastiani animo, quem non solum superiorum Regum Illustris
exempla, sed recens, spiransque ad huc Emanuelis proavi, Ioannisque
Tertij avi memoria ad prouehendæ religionis studium vehementius ac-
cendit? Quomodo enim potest vel Emanuelis Regis pronepos non isdem
vestigijs insistere, vel Ioannis Optimi, maximique quondam Regis
nepos, cognita ab omnibus propemodum, qui hic adestis, illius pie-
tatis exempla, minime conspectari? Quorum ille subiectis Apostolicæ
sedis Imperio, tot in Oriente Regnis Prouincijs, Barbarisque nationi-
bus, eius gloriam longe, lateque illustravit. Hic vero non modo suo
bassos ab Emanuele foelicissimæ recordationis Rege patre suo populo
in officio, fideque continuit, sed etiam studio diligentiaque perfecit,
ut repudiato nephario inanum simulacrorum cultu, Christianæ reli-
gionis pietate imbuerentur, et nostræ disciplinæ sacra, moresque li-
benter sequerentur. A quo propagandæ latius nostræ religionis cur-
su, cum partim finitimorum Africæ Regum infestis excursionibus, par-
tim magnis a Solymano ad euertendum nostrum in Oriente Imperium
missis classibus subinde interPELLARETUR, illorum quidem audaciam, te-
meritateque, grauissimis illatis damnis, repressit. Huius vero nauales
copias in ipso Dij, Florentissimæ totius Cambaiæ Regni urbis conspectu,
ita oppressit, ut Solymani purpuratorum Satraparum apud Barba-
rum et immanem Tyrannum gratia et autoritate longe maximus, qui
Classi summo cum Imperio præerat, multis depressis triremibus, laca-*

ris, trunatisque nauigijs egre sit fuga salutem consecutus. Quæ ideo breuiter, cursimque a nobis sunt commemorata, Patres Amplissimi, non modo vt intelligeretis quanto suorum periculo, et sumptu suo, Clarissimi, proferendæque latius Christianæ Religionis studiosissimi Portugaliæ Reges, non in oppositæ nobis Africa solum proximis, sed in Asiæ etiam remotissimis disiunctissimisque prouincijs grauissima, periculo sissimæque bella susceperint, quæque ea vel animi magnitudine gesserint, vel constantia, felicitateque confecerint, sed etiam vt cognosceretis, eandem erga Sanctam Sedem animam, idem ad Christianam Religionem amplificandam, propagandamque, studium, eandem erga hoc sacrum Concilium obseruantiam, eandem denique pietatem expectandam a Serenissi. Rege Sebastiano, et regia præstantissimæ indolis significatione ad excellentes omnes virtutes propenso, et domesticis imaginibus, Clarissimorumque Regni Illustribus exemplis incitate. Qui, quod Sanctissimo Pontifici, literis est pollicitus hodie cumulatæ præstat, suumque ad illustrandam huius Sacrosancti Cocilij celebritatem, studium, vobis Amplissimi Patres, hodierna die per D. Ferdinandum Martinez Mascarenium suum Oratorem, Virum non solum antiquæ generis nobilitate, et familia, multis Asiæ, Africæque triumphis insigni, sed fide, integritate, cæterisque ornamentis longe præstantem effuse pollicetur. Sperat autem fore, vt quoties cum de publicis Christianæ Religionis, atque disciplinæ tum de priuatis negotijs nostrarum Ecclesiarum quæ singulari Dei Opt. Max. beneficio, nec ab Ecclesiæ

Romanæ cæterarum parentis et magistræ obseruantia deflexerunt, nec a veteri, receptoque semel, cultu recesserunt apud vos il-
lius Orator agere volet (quod pro sua prudentia non
nisi necessarijs, aut grauibz certe causis im-
pulsus faciet) vos, cognitis Serenissimi

Regis mandatis, eum pro ve-

stra humanitate be-
nigne exci-
piatis.



RESPONSVM SANCTAE SY-
NODI, DATVM ILLVSTRIS.
ORATORI SERENIS-

*simi Regis Portugaliæ in eius
comparatione.*



ILLVSTRISSIMI, D. Orator. Mandatum & literæ Serenissimi Portugaliæ Regis, quæ modo a Dominatione vestra exhibitæ in hoc sacro loco recitate fuerunt, nec non ea, quæ ornatissima Oratione exposita sunt, huic Sanctæ Synodo iucundissimum nuncium attulerunt, cum declararent eximiam quandam, ac perpetuam clarissimorum Portugaliæ Regū, ac præcipue Serenissimi Sebastiani Regis in Deum pietatem, inique in Remp. Christianam studium, ac summam erga hoc æcumenicum, & Generale Concilium, obseruantiam, licet nihil noui huic Sanctæ Synodo allatum sit. Nemo enim est cui compertissima non sint præclara Regum Portugaliæ facta, nora in Christiana Religione, veraque Christi fide in Orientis partibus propaganda. Non minor tamen Maiestati suæ, maioribusque suis piissimis, & Clarissimis Regibus laus & gloria hac tempestate debetur, quod in his calamitosis temporibus, tot dissidijs, totque in Ecclesia exortis hæresibus, Regna & Ditionem suam in Orthodoxa fide, Ecclesiæque Catholicæ unitate (vti vere Christianos Principes decet) semper conseruauerint, quam in Barbaris, & idolorum cultui deditis Nationibus ad veram religionem traducendis. Quamobrem hæc Sancta Synodus Deo, & Patri Domini nostri IESV Christi meritis de his omnibus gratias agit, Dominationemque vestram, tum ipsius Regis causa, tum ob singulare eius prudentiam, ac sanguinis splendorem, grato ac beneuolo animo recipit. Regium vero mandatum, quantum de iure debet, admittit.



ide
mo
ore
tioe
m
an
gu,
um
, ac
m
Ne
ac
pro
nis,
his
us,
uta
m in
rae



BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

T
O
op. f
108



⁴²
Misc. T. C. c 122 9. Feb. 1562.



R I P A E:
AD INSTANTIAM Baptista Bozoha.
1562.